



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De probatione ab autoritate Philosophoru[m]. Cap. XXXVIII. [i.e.
XXXXVIII.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

pultrix, tanto in honore tot annos nō habuisset; aut in eadem nauī versata, naufragium fecisset: quod tantum abest, vt verum sit, vt qui id dicere auderet, hæresis se labe commacularet. Hos autem Dominus per Hieremiã prophetã Ecclesiæ pollicitus fuit, cū dixit: Dabo vobis pastores, iuxta cor meum, & pascet vos scientia & doctrina: vt videlicet intelligeremus, ob id eos post prophetas, apostolos, & Euangelistas, nobis fuisse datos, quo eorum catholicam, hoc est, vniuersalem & communem intelligentiam, atque authoritatem, tanquã Ecclesiæ regulam, à Deo præscriptam, sequeremur. quo loco monemus clericos, nè contra sententias sanctorum patrum, ad populum audeant dicere: nec si quid ab eis, vt potè hominibus, erratum est, detegere, vt faciunt quidam, qui de prædestinatione sermonem instituentes, B. Augustini sententiam improbandam suscipiunt; omne mendacium vituperãtes, S. Hieronymum accusant: oratione, laudibus, & interdum etiam silètio sanctissimi viri, lumina Ecclesiæ, venerandi sunt: eorum errores minimè sequendi, dissimulandi tamen, cū ad populum habetur sermo. Magna est etiam authoritas Doctorum, qui scholastici appellantur, præsertim B. Thomæ Aquinatis, quem sancta Concilia, Tridentinum in primis, magna veneratione dignum iudicauit, eorumq; authoritas valet plurimùm ad confirmanda veræ religionis dogmata, & ad falsa & perniciosa refellenda.

De probatione ab authoritate Philosophorū.

Cap. XXXVIII.

NON minima est philosophorum authoritas, eorum nimirum, qui non solum naturæ vim & effecta;

verum etiam morum et vitæ normã inuestigauerunt, idq̃
 magna ex parte sunt cõsecuti: & quamuis Saluator no-
 ster apud Ioannem Euangelistam dixerit: Quotquot an-
 te me fuerunt, fures sunt & latrones; tamen hac verba
 non ad eos, qui diuino ita volente numine, sed ad eos, qui
 sua sponte venerunt, siue pseudoprophetas, siue pseudophi-
 losophos pertinent: de quibus per Hieremiam prophetam
 Dominus ait: Non mittebã eos, & ipsi currebant. Quan-
 quã verè, vt Clemens Alexandrinus putauit, philosophi
 fures appellandi sint, propterea quod à Moysè & à pro-
 phetis sapientiam subripuerunt, & gloriola aucupanda
 causa, quasi suam iactare consueuerunt. Platonem qui-
 dem, Pythagoram, & multos alios philosophos, Hebræo-
 rum consuetudine familiariter vsos, immò Pythagoram
 genere Hebræum atq̃ etiã circuncisum fuisse, S. Ambro-
 sius affirmat. Quare nemini mirum videri debet, si sancti
 doctores interdum vsi sunt in scriptis philosophorũ testi-
 monijs: qui enim S. Hieronymũ legit in libro 2. aduersus
 Iouinianũ, vbi cum hæretico differens, varijs philosopho-
 rum authoritatibus, multisq̃ ex eorum commẽtarijs re-
 rum naturalium exemplis vitur; planè intelliget quan-
 tum horum authoritas ad argumentandũ conferat. Por-
 rò Epiphanius, cum multis argumẽtis suffisset, B. Virgi-
 nem post partum virginitatem cõseruasse (hoc argumen-
 to à philosophis naturalibus sumpto) confirmat his verbis:
 Aiunt leonem non parere, præterquam semel, & vnum;
 cumq̃ue rationem, quam eius rei philosophi reddunt,
 subiecisset, concludit, B. Virginem, quæ leonem peperit
 de tribu Iuda, non nisi semel, atque vnicum peperisse. S.
 etiam Paulus Apostolus ad Corinthios scribens, ex Me-
 nan-

nan-

mandri tragœdijs illud sumpfit: Corruptunt bonos mo-
res colloquia praua, & ad Titum ex Epimenide philoso-
pho, Cretenses semper mēdaces, mala bestia, ventres pi-
gri. Quamobrēm ad aliquid confirmandum, postquam
Ecclesiasticus orator sanctorū patrum sententias aut ex-
empla adhibuerit; nonnunquam philosophorum authori-
tates adiungere vtile iudicamus: quo nos Christianos ve-
re philosophia amatores magis pudeat: quod faciendum
in primis est, cū de remittendis iniurijs, & de contem-
ptu rerum externarum, deq; minimè formidanda mor-
te agendum est. Plato, Aristoteles etiam, meliùs esse scrip-
psit affici, quā afficere iniuria: nos Christiani, quod val-
dè deplorandum est, tam dulcem, tam iucundam vindi-
ctam ducimus. Philosophus dicebat, Omnia mea mecum
porto, fugiens ab excidio patriæ: nos ad caelestem patriā
nati, regis regum omnium Christi fratres, in magna re-
rum copia egemus. Seneca docuit contemnendum esse
contemptum; nos contemni, miserrimum arbitramur.

De probatione ab authoritate Historiarum.

Cap. XXXIX.

INTERDV M etiam historia grauisimorum homi-
num, praesertim veterum, qui suspiciōe odij & gratia
vacāt, plurimū valent ad faciendam fidem. Nam cū
historia testis temporū, lux veritatis, vita memoria, ma-
gistra vitæ, nuncia verustatis sit dicta; necessariò fides illi
habenda est, nisi omniū rerum praeteritarū memoria tol-
lenda, et more pecudū vita degenda sit: nō est enim homi-
nis benè instituti, et ad vitam humanam benè informati,
viro graui & fide digno, aliquid affirmanti non credere:

F 4

verūm